



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Candidatus Abbreviatus Jurisprudentiae Sacrae, Hoc Est,  
Juris Canonici, Secundum Gregorii Papae IX. Libros V.  
Decretalium Explanati Summa, Seu Compendium**

**Pichler, Vitus**

**Augustae Vindel., 1733**

Titulus XIII. De Torneamentis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63462)

debitis suppliciis afficiendo sceleratos, vel pugnando justè contra hostes suos. Quid Prælati Regulares circa suos subditos possint quoad dispensationem, patet ex privilegio ipsis concessio, vi cuius plerique possunt etiam dispensare in irregularitate orta ex homicidio perfectè voluntario, & ortomero defectu absque delicto, nempe pro foro interno, uti testatur Laym. Rodriq. Donat. Pelliz. præsertim Mendicantes, quibus dispensationem in quovis homicidio non notorio specialiter concessisse dicitur Martinus V.

## TITULUS XIII.

### *De Torneamentis.*

#### SUMMARIUM.

1. Quotuplicis generis sint Torneamenta.
2. 3. Quanam sint prohibita, & puniantur, item quanam agitatio taurorum.

**T**orneamenta, *Tournier* / appellantur belliculudia seu pugnae equestres, quibus præcipuè Nobiles Equestris Ordinis, ex coadicto convenientes, & equis insidentes congregantur. Sunt duplicis generis: aliqua, saltem olim, instituebantur ad ostentationem virtutis ac audaciæ, atque cum armis ad vulnerandum & necandum aptis, magna cum celebritate convocatis undique Nobilibus primæ nobilitatis alia instituuntur ad exercitationem in equis & armis dextrè tractandis, vel in signum lætitiæ ob relatas victorias, ob Natales, vel Nuptias.

Principum &c. cum debitis cautelis, talique moderacione armorum, ut per se nullum sit gravioris læsionis vel cædis periculum, quo modo hodie fieri consueverunt.

Dico. Torneamenta prioris generis sunt graviter illicita, & de Jure Canonico habent pœnam in Homicidas statutam, & privationis sepulturæ Ecclesiasticæ, si quis in loco torneamenti, licet pœnitens, occumberet. 2. Posterioris autem sunt licita. Pars prior constat tum ex Jure Naturali prohibente ob finem tam vanum periculo gravis læsionis vel necis se exponere, tum ex *l. un. C. de Gladiat. lib. 11. c. 1. 2. h. t.* Pars posterior tum ex *c. un. h. t. int. Extrav. Jo. XXII.* ubi revocatur constitutio Clementis V. qui ob immodicos sumptus, in torneamenta etiam cautè suscepta tunc expendi solitos, graviter illa prohibuit: tum ex eo; quia finis est honestus, nec modus periculum habet.

Idem tene de Agitatione taurorum, apud Hispanos maximè usitata, quando nempe homines cum tauris vel aliis bestiis in arenam descendunt & luctantur; nam S. Pius V. in speciali sanctione anno 1567. eam, si ex fine vano, & cum periculo gravi, suscipiatur, prohibuit sub pœnis in periculosa torneamenta statutis, non verò susceptam ex fine honesto & cum debitis cautelis.

## TITULUS XIV.

### *De Clericis pugnantis in Duello.*

#### SUMMARIUM.

1. *Quid, & quotuplex sit Duellum, præsertim*  
 Pars II. Rr tim